

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Præfatio Prioris Et Hujus Editionis Ad Benevolum Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40853**

# P R A E F A T I O

P R I O R I S E T H U J U S E D I T I O N I S

A D

B E N E V O L U M

L E C T O R E M.

**E** Laboravi non ita pridem in Academia Lovaniensi, quantum sinebat Docendi cura assidua, Opus aliquod Theologicum, tam Missionariis Apostolicis, quam aliis passim oportunum, cuius mille fermè exemplaria paucorum mensium spatio distracta fuerunt, & plura etiamnum desiderata. Postea plusculum hic nactus otii, non sine aliis impedimentis ultra Præfecturā studiorum, conatus sum in eo genere Opus aliquod perfectum, & omnibus commune absolvere. Sic ut existimem in hoc opere nihil desiderari ad Resolutiones sive prácticas, sive speculativas, in quæstionibus etiam hoc tempore maximè expeditis; vel ad Doctrinam sacram in quovis Sacerdotis munere facile ac eruditè tractandam. Quæ omnia, cum tota operis materia, methodo, ac symmetria, ut facilius & copiosius sub unum aspectum cadant, plurimum opto, ut studiosus Lector sequentem Indicem singulorum Titulorum ac Capitum attente percurrat, ubi forte plura non parum exquisita, & suis usibus apta reperiet.

\* 2

Cum

## P R A E F A T I O

Cum autem in Librorum delectu nihil gratius accidere soleat, quam si in eodem Opere simul concurrat succincta brevitas, scribendi claritas, rerum novitas, materiae varietas, & ad omnem Temporis usum expedita utilitas, ita, nisi fallor, hujus Operis partes singulae sunt digestae ac locupletatae, ut haec omnia singulari cum delectu, & in mole non magna, facile & expeditè ad manum habeantur.

Quinimo ad minuendam Libri molem, nobis non parum curae fuit ipsos typos, & formam chartæ talem, & tam commodam adhibere, ut non permitteret Operis quantitatem, pro materiae quam continet magnitudine, in ampliorem formam excrescere, ut sic paginæ paucæ materiam multam, & simul ad omnem usum portatu facilem continerent.

Notanda porro est singularum inter se partium symmetria, & ad mutuum subsidium mutua connexio, quæ sic studiole instituta est, ut una pars possit ad alterius partis usum aptè accommodati. Si enim in prima parte ex Polemicis controversiam aliquam tractes, plurimum ad eam illustrandam conducere possunt quæstiones Theologicæ tam speculativæ quam practicæ, quæ in 2. & 3. parte continentur. Si è converso, in his quæstio aliqua agitur, datur in eodem genere ad Controversias recursus. Si ex Apparatu Doctrinam sacram, aut Christianam populo sagaciiori proponas, facile potes, ubi res requirit, fidei Controversias, aut Quæstiones Theologicas ex aliis partibus inducere. Ceteris quoque Sacerdotis ministeriis eadem poterit praxis accommodari: prout singula in Operis decursu notata, & digesta regeris

## A D L E C T O R E M .

peries : cum ea ut spero cautela ut non facile aut temerè ullius hominis persona , sed sola doctrina quâ decet moderatione attingatur.

Insuper , ad conciliandum gratam Materiæ varietatem , plurimū conducunt quæstiones in omni genere singulares & exquisitæ , cuiilibet Functioni servientes , quæ in singulis Partibus suo loco tractantur , ut sunt , Nova Sectariorum argumenta , & effugia : Pontificium & Conciliorum series , decreta , et authoritas quoad singulas , etiam juris et facti quæstiones : Errores moderni sive Novatorum , sive aliorum in modernis quæstionibus suis locis exhibiti: Opinionum variarum probabilitas tam in genere , quam in specie discussa : Resolutiones Particulares ad quoscunque Missionarios , Cura-tores animarum , et ad partes Hæreticorum in quavis materia pertinentes.

Sic denique totum Opus institutum , atque ordinatum est , ut Curatori animarum copio-fè sit prospectum , ad singula sua Munia facile et eruditè peragenda. Sive enim in Contro-versiis fidei cum Sectario congregariis , sive moderna inter doctiores dogmata tractes , sive populo fidi Sacra menta administres , sive in conscientiæ Tribunalí sententiam feras , sive præ Rostris populum grandiorem erudias , sive tenello gregi Doctrinæ Christianæ mysteria ex officio exponas , sive singulos hominum status privatim instituas ; inuenies in his , cæterisque Sacerdotis Apostolici ministeriis uberem hic rerum copiam , cum accuratis ad præxim documentis , et singula suis locis ex professio tractari. Quæ cum legendo attentè exploraveris , facile deprehendes , quæcunque ferè subsidia ex

Theo-

\* 3

## P R A E F A T I O

Theologia universa aut aliunde desiderare pos-  
sis , hic in decursu totius Operis facili metho-  
do digesta, et propriis usibus singulari studio ac-  
commodata reperiri.

Demum hæc *postrema Editio* , eo consilio in  
Tres Tomos ex variorum voto divisa est , ut in  
ea forma redderetur portatu facilior,tam pro a-  
liis , quam pro Curatoribus animarum qui ad  
varia loca discurrunt , ut illam partem habeant  
ad manum , quæ ad præsentem eorum usum  
maximè accommodata videbitur. Idque com-  
modum habet speciale in editione separata Tomi  
Tertii qui continet Apparatum pro Doctrina  
Sacra in Concione, et Catechesi tradenda : pro  
Assistentia ægris et sanis præstanta: et pro quo-  
vis alio Sacerdotis ministerio , quovis loco tra-  
ctando.

Quæ in hac Quinta Editione præcipue addita  
aut præstata sunt , ut promptius et distinctius  
innotescant , in sequenti Syllabo sub unum af-  
pectum breviter subjicientur.

*Syllabus*

A D L E C T O R E M .

*Syllabus Præstitorum*

*In singulis partibus hujus Quintæ Editionis  
multò auctioris.*

**Q**UAMVIS hujus Operis priores quatuor Editiones absque doctrinæ offensione prodierint : in hac tamen, qua hic postrema est , multa sunt aptius disposita , multa magis deducta & elucidata, multa lectori commodissima in singulis Partibus variis locis adjuncta : quæ ut facilius inveniantur , hic præcipua notatis singulorum paginis subjiciantur , minutioribus prætermis.

In hac Parte sive Tomo primo , Ad priorem Libri Dedicationem Missionariis Apostolicis, additur in calce, Prosecutio ejusdem Viris Apostolicis recenter in Germania , Anglia , et Hibernia mortem gloriose perpessis , post paginam 464.

Ad paginam 391. Annotatio oportuna , de facientibus quod in se est ex solis viribus naturæ.

Pagina 292. Apponuntur Dogmata quæ sunt Calvinus propria , et alia dogmata illi cum Lutherano communia.

Pagina 295. Annotatio singularis de vero modernæ Hæresis motivo.

Pag. 309. Proponitur Idæa miseranda moderni sectariorum , ut statum suum clarè advertens , veræ Ecclesiæ se adjungat.

Pag. 311. Ex Bulla dogmatica Leonis X. di-

\* 4

ftin-

## P R A E F A T I O

stincte series Errorum Martini Lutheri et sequacium, cum eorum damnatione, censuris et poenitentiis annexis: adduntur Errores Wiclefi.

*Pag. 465.* Ad Diploma Alexandri VII. contra 5. propositiones Jansenii, additur ejusdem Constitutio de iis abjurandis, in sensu ab Authore intento: cum Conclusionem notatum digno.

*In fine Part. I.* In Prosecutione Dedicationis exponitur Vita et Mors gloriosa Primatis Hiberniae, & Archiepiscopi Dublinensis, & aliorum in Anglia, & Germania recenter obita. *Pag. 471. & 476.*

*In Tomo 2. Tract. I.* circa Principia practica. *Pag. 5.* additur, de conscientia proplexa et scrupulosa. *Pag. 9.* deducitur ulterius, quomodo dubitanti faveat possessio. *Pag. 17.* Principia alia oportuna, de Legis et Praecepti obligatione. *Pag. 18.* De iis quae ex Metu sunt quomodo resolvendum.

*Pagina 23.* Apponuntur Regulae de Deliberatione intellectus, et Consensu voluntatis ad mortale aut veniale requisitis.

*Pag. 28.* Deducitur ex ipsa natura rei operatio licita ex opinione probabili.

*Pag. 30.* Elucidatur norma, et securitas conscientiae practicè certæ. Et *Pag. 35.* de usu probabilitatis in administratione Sacramentorum. Et *Pag. 44.* Totus tenor utriusque Decreti Alexandri VII. suppletis omissis.

*Pagina 51.* Inservit novum Decretum Innocentii XI. contra 65. Propositiones ibidem expressas, de quibus fere singulis in Operis cursu agitur.

*Pagina 66.* Elucidatur accuratè quomodo possit esse operatio prudens & licita ex sententia

## A D L E C T O R E M.

tentia minus probabili, minusque in speciem tuta.

Pag. 80. & seq. Solvuntur novæ quædam Objectiones in oppositum: cum utili observatione in modernis.

Pag. 103. Explicatur propositio 13. inter prohibitas, de optante alterius mortem naturalem. Et pag. 111. &c. De obligatione restituendi in eo qui per modica furta ad summam notabilem pervenit. Et pag. 119. De inducente alium in ebrietatem qui decrevit grande aliquod malum patrare.

Pagina 147. Ulterius declaratur non dari præceptum omnem actionem deliberatam referendi in Deum ex motivo charitatis benevolæ.

Pag. 161. Inseritur tenor Decreti Alexandri VII. vetantis censurari sententiam de sufficiencia Attritionis, & alteram de necessitate Dilectionis in Sacram. pœnitentiæ.

Pag. 193. Deductio ulterior facultatum Pastoralium tam in sua Ecclesia, quam extra illam.

Pagina 195. Quæstiones aliæ circa Munia & Beneficia Ecclesiastica, quoad electionem dignioris, valorem collationis Beneficij, conditio-nes ad eam requisitas, & modos quibus ea amittantur, aut etiam permutentur.

Pag. 223. Expositio percommoda singulorum Casuum Episcopis reservatorum. Casus illi pro subsidio memorie paucis versiculis aptè expressi, pag. 220.

Pag. 238. Annotatio de potestate Episcoporum circa casus Pontificios.

Pag. 253. Summula Casuum à quibus etiam

\* 5

Pri-

## P R A E F A T I O

Privilegiati absolvere nequeunt.

*Pag. 255.* Casus quos Regularium Superiores sibi reservare possint.

*Pag. 329.* Observatio de Theologis Recentioribus deducta. Item P. Matthæi de Moya ex opere recenti resolutiones variae, pag. 370. pag. 305. pag. 364. pag. 458. pag. 530. & alibi.

*Pagina 300.* De Indulgentiis maximi momenti Decretum modernum anni 1678. totum inseritur, ex quo Indulgenciarum abrogatae, à veris & non abrogatis discernantur.

*Pag. 390.* Inducuntur & explicantur Irregularitates singulæ, & quomodo Sacros Ordines, aliaque impediant: & omnes ad paucos versiculos memoriarum causa reducuntur.

*Pag. 419.* Pro praxi et forma Dispensationis ex Pœnitentiaria Romana &c. addita quædam notabilia.

*Pag. 428.* Additur de præcepto Charitatis Dei & proximi, cum novarum controversiarum resolutione, actibus internis, externis &c.

*Pag. 444.* De juramento, & pag. 464. de ieiunio varia magis deducta. Et pag. 460. quæstio singularis de observatione festorum, qualiter peccet Herus habens tres servos, qui in die festo assignat singulis successivè laborem unius horæ.

*Pag. 478.* An & qualiter peccent Parentes filiam aut filium ad Religiosum statum cogenentes, aut ab ea retrahentes.

*Pag. 491.* Discutitur accuratè, an qui alteri damnum intulit ignoranter, aut non liberè, teneatur ad damnum illud reparandum.

Pag.

## A D L E C T O R E M.

Pag. 530. An, & quomodo fieri possit compensatio pro debito tantum probabili.

Pag. 531. Appendix singularis, Quando tenetur ad restitutionem Judex, Advocatus, & Testis: cum propositionibus recenter prohibitis ad hanc materiam pertinentibus.

Pag. 605. In fine hujus Tomi 2. accedit Tractatus novus, prorsus singularis, operosus, & utilissimus, qui est, Idæa Scientifica Theologiae universæ, & Scientiarum illi annexarum, complnctens juris Canonici, juris Civilis, scientiæ Philosophiæ cum annexis, Principia, Regulas, Axiomata, Authores, Partium singularum Ordinem & Materiam: nec non Fori Ecclesiastici notitiam & normam, multiplicem: singula brevi methodo exposita per Capita plura.

In Tomo Tertio. Ad Apparatum Materiæ pro Doctrina sacra per totum alphabetum, Accedit ad singulos titulos, Annotatio locorum ex ipso etiam Breviario Romano ex quibus possit materia Dictionis in promptu haberi pag. 1.

Praxis varia, ac selectissima assistendi cuivis Proximo in quovis statu aut necessitate: per tria Capita, pag. 395.

Caput primum. Remedia & documenta contra singula Peccata in particulari: per 5. titulos, pag. 396.

Caput secundum. Praxis Conversationis & Instructionis pro quovis hominum Statu: pag. 401. per 14. titulos: ut pro Hæreticis convertendis: pro obstinatis peccatoribus emolliédis: pro Confuetudinariis ad seriam pœnitentiam, & emendationem vitæ perducendis: pro inimicis reconciliandis: pro afflictis ex morte amici, aut

## P R A E F A T I O

jactura bonorum consolandis : pro assistentia aptè præstanta incarceratis , & extremo suppli-  
cio afficiendis : & pluribus aliis , ibidem circa fi-  
nem tomī 3. p 407.

Caput tertium. Ritus necessarii pro admini-  
stratione singulorum Sacramentorum , pro Cu-  
ratore animarum : per 6. titulos , in calce To-  
mi tertii , uti ibi possint semper in promptu ha-  
beri quæcumque Curator animarum cum illa  
pervenerit.

Prater hac , plurima sunt alia in hac Editione  
sparsum adjecta , & magis perfecta , correcta , aut  
ordinata : Collatā etiam ad hoc ipsius Censoris o-  
perā admodum benignā , & accuratā , sic ut me-  
ritō confidamus nihil in hoc genere ad perfectio-  
nem defraueri. Quod si de hoc Opere , nondum  
sic locupletato , in Praefatione Editionis partim  
Coloniensis partim Pragensis palam testatum ex-  
istet , Opus illud verè esse Iliadem mirā arte in Nu-  
ce contentam : quovis oblato pretio illic quesitum :  
variorum manibus cœpium describi : optandum ut  
ad omnes Vbique terrarum perveniat : copiosam  
esse Bibliothecam Viri Apostolici , uti ipsis ad fron-  
tem præfigere benignè placuit. Quanto magis hæc  
postrema Editio tam multipli doctrinā , etiam re-  
centissimorum Decretorum , de novo instructa , &  
in formam tam commodam redacta , utilitatem  
Lectori adferet singularem , ad Dei gloriam , &  
salutem animarum copiosè procurandam : quod u-  
nicum laboris nostri præmium desideramus.

Anno-